

fii, Arnaldi, aliorumque: deinde in notis ipsis trade-
 rentur tantummodo ea, quae ad criticen pertinerent;
 quae vero ad verba, et formulas dicendi, illustran-
 das valerent, ea in indicem Graecitatis coniicerentur
 omnia. Sed quoniam laborem hunc nondum profligare,
 nedum finire, per alias occupationes licuerat: visum
 est, ne editionem libri praecipitarem, neque tamen
 nostri discipuli carerent exemplaribus, nec iusto
 maiori ea pretio emere cogerentur, aliena interim
 diligentia, et ingenio, recensitas, illustratasque, Ana-
 creontis odas edere. Stephanum enim, et Fabrum,
 Pauumque, multa manifesto falsa, e quibus nulla, nec
 probabilis, saepe sententia cogi posset, in contextu
 retinuisse videbamus. Contra vero Barnesium, qui
 vnus post Stephanum libri scripti, Vaticani puta, vel
 Palatini potius, copiis vsus est, cognoueramus nimis
 multa, praeter rem, mutasse, atque ex ingenio emen-
 dasse; vt neminem fore sperarem, cui hoc eius
 consilium probaretur, nisi forte quis Benteleianam
 quoque rationem in edendis veterum libris laudan-
 dam putaret. Baxterus autem, vt in Horatio, ita
 etiam in Anacreonte, recensendo media via incessisse
 mihi quidem videbatur, vt aperte falsa eiecerit, nihil
 vero praeter aequum mutauerit, neque quidquam,
 quod a vulgata lectione nimis recederet, intruferit.
 Itaque Britani huius doctissimi exemplum Anacreontis
 carminum, et quidem secundum, quod ante quatuor,
 et quadraginta, annos Londini prodiit, repetere,
 sublata tamen versione Latina, placuit. 7 Atque quo-
 niam
niam

7. Biblioth. raisonnée To. 15. P.
 1. p. 236., *Il seroit à souhaiter,*
qu' on reimprimat la seconde édition
de l' Anacreon de Baxter, qui est
devenue aussi extrêmement rare, et ou
l'on trouve une Critique vive, et
sensée, des notes de Barnes. Mul-

to vero etiam rariora sunt exem-
 plaria exempli carminum Anacreon-
 tis Baxteriani primi. Nobis qui-
 dem certe nullum eorum reperire
 contigerat in bibliothecis Lipsien-
 sibus, neque publicis, neque priuatis,
ita,